

**Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

**Historiae ecclesiasticae saeculi ... XVI supplementum**

**Fecht, Johann**

**Francofurti et Spirae, 1684**

**VD17 VD17 3:315948Z**

CXV.

[urn:nbn:de:bsz:31-122751](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-122751)

Saxonicae scholae & Ecclesiae, D. D. Simon Pauli suis literis est testificatus. Nec dubites, illos nos habituros adjuutores, cum viderint, nos per gratiam Dei neque mutos neque edentulos aut elingues esse. Sequetur propediem responsum quoque contra Helvetios Tigurinos, pro defensione Testamenti Brentii, quod jam jam paratum est. Dominus JESUS nos suo S. S. gubernet ad nominis sui gloriam, amen. Bene & feliciter Vale. Reliqua ex filiis audies. Quibus iter faelix & reditum longe felicissimum opto. Quorum causa ego privatim ad D. Doct. Chytraeum & alios Professores Rostochiensis scribam diligentissimè. Raptim Tubingæ, pridie Calend. Septembris, 1772. Univerfo Collegio Vestro meo nomine reverenter salutem dicas.

*Tuus ex animo frater*

Jacobus Andrea.

CXV.

*S. D. Reverende & clarissime vir, Domine*

*Patrone & frater colende,*

**O**ne τας ἑσπίας γλυκιστάτος, ἢ τι μελλίσσης ἄνθιας, quam mihi dulcis & jucundus Filiorum tuorum, in quibus doctrinam virtutem & gravitatem paternam, cum pari humanitate & suavitate temperatam, velut in clara & illustri imagine relucere video, conspectus & complexus fuit. De quibus quoties cogito, dulcissimam Psalmi promissionem unà considero. Quam Ethnicus Poëta alicubi auditam hoc eruditissimo versu expressit. *Ευσεβίαι παιδοσι πὲ λωία, δυσσεβίαι δ' ὄ.* Generatio rectorum benedicetur. Hoc insigni ornamento Filiorum, ingenius, vitæ innocentia, & eruditione præstantium, quos paradisi caelestis plantatores & cultores faelices & salutare, ut Esaiaë verbis utar, fore, & Ecclesiam DEI in his terris fundaturos esse, speramus: cum Domui tuæ DEUS benedixerit, donum DEI unà tecum grata mente & voce agnosco & celebros, & DOMINUM, cujus hæreditas sunt Filii Heroici, precor, ut Filiorum tuorum studia & cursum vitæ universum deinceps eriam gubernet, ut organa misericordiæ DEO grata & Ecclesiae ac studiis discipulorum salutaria manent. Inque Patris crescant munera magna sui. Venerunt in hanc urbem salvi & incolumes Nonis Octobris, non tam præstantium virorum & Academiæ honorificentiss. testimoniis, quam propria virtute mihi & omnibus bonis commendati. Habitant in Domo scholæ, quam usitato in hac Schola vocabulo, Regentiam Leonis rubei nominant, cujus hortus meo contiguus est, ut convenire quotidie ad colloquia de studiis absque arbitris possim. Lectos duos & habitationem, dum apud nos commo-

commorabuntur, gratuitam, sine ulla mercede tenebunt. In mensa vivunt apud Doctorem Levinum Battum, affinem meum, cui cum statim post eorum adventum, octo dies abfuturus essem, & alioquin convictores nullos alerem, eos commendavi. Ubi honestam sodalitiū & tolerabilem, ut planè existimo, pro harum regionum consuetudine victum carnibus & piscibus maxime constantem habent. Nam juscula, rapæ, olera, lentes in familiis civium, qui exteri non sunt, rarius præbentur. Spero tamen, his paucis mensibus, filios tuos, in his Musarum castris, non paulò commo-  
dius, quam plerosque in Uranii castris victuros esse. Sed de his oeconomicis hæc-  
tenus. Studiorum labores ita instituent, ut ad scopum à te præfixum omnia referant. Nunc oratiunculas scribunt initio prælectionum recitandas, in quibus publicum ingenii & doctrinæ specimen præbere utrumque velim, antequam ad Collegas meos de Gradu, quem petunt, quidquam referrem. Habemus & nos legem de tricesimo ætatis anno, quo Christus in baptismo hac voce æterni Patris, Hic est Filius meus dilectus, HUNC AUDITE; Doctor Promotus, Ministerium docendi publicum inchoavit. Sed cum iis, qui ante hos annos, animumque gerunt, curamque virilem, & quod ætati deest, donis ingenii, doctrinæ & virtutis complent, non gravatè dispensamus. Sed alteram legem strictius aliquantò servamus. Ne quem ampliff. Doctorum aut Licentiatorum Theologiæ titulo ornemus, nisi expressum documentum legitimæ vocationis ad Ecclesiæ alicujus gubernationem, vel functionem docendi in schola publicam, Collegio nostro exhibeat. Id si per hunc Tabellarium vel alium initio sequentis anni ad nos miseris, (singulis enim mensibus tabellarios Spiram euntes habemus) proxima de sumptibus deliberatio erit. Quorum designationem, quantum mihi hoc tempore in mentem venit, in adjuncta pagella mitto. Ex qua Doctorum duorum promotorum ducentos Joachimicos ferè æquare cognosces. Existimarem igitur, ad eum finem, qui nobis propositus est, non minus Licentiatum, quam Doctoris titulum, satis esse. Licentiam enim, ut vocant, adepti, non minus aut obscurius eruditionis & doctrinæ, ad alios docendos & studia Theologiæ propaganda & regenda idoneæ testimonium habent, quam insignibus aut titulo Doctorum, plus oneris quam honoris habent, ornati. *βάρεθ' ἂν εἰ πρὸς ἐστὶν αἰτιῶν λαν.* Tametsi nunquam satis laudari virtus eximia potest. Sed in me ipso experior, quanto opere cupiam onere tituli, cum summis & difficillimis laboribus, molestiis & periculis conjuncti, ad quem velut editam turrim, omnes calumniarum, invidiæ & odiorum venti exagitantur, levatus esse. Totam verò hanc deliberationem sapientiæ & pietati tuæ commendo. Et quia *ἡγεθ' ἡρεσῶ ἢ συμβουλή.* DEUM oro, ut consilia, Ecclesiæ DEI, & Filiis tuis, quos organa laudis divinæ eximia futuros esse, DEO benedicente, non dubito, & tibi ac nobis omnibus grata & salutaria suppeditet. Ego omnia mea studia & officia Tibi ac tuis, cum vera & sincera benevolentia & fide, perpetuo DEO juvante præstabo. Nec tibi, in juven-  
dis, fovendis & ornandis Filiorum tuorum studiis & reliquæ vitæ rationibus,  
dum

dum apud nos vivent, paterno amore & fide cedam. Bene & feliciter vale. Die  
24. Octobris, Anno 1572.

David Chytræus.

Adjunctas literas quaeso, ut Bipontem perfectè fideliter cures.



CXVI.

**S** Discimus vix tandem, atque utinam etiamnum discamus, vir reveren-  
de & charissime frater, verum esse, quod Christus dicit: Qui gladium ac-  
ceperit, gladio peribit. Docent hoc Ecclesiasticæ historiæ, & nostra tempora  
oculis auribusque usurpanda proponunt & ingerunt. Animadvertit hoc  
piè & prudenter Reverendus Pater Lutherus, DEI doctus spiritu. Hinc  
ipsam si essent imitati nostri, cum in reformandis Ecclesiis, tum colendo su-  
piorè magistratu, & perferenda etiam duriorè ejus manu, erexissemus jam pri-  
dem contra Anrichristi hypocrisin, & psychotyrannidem Romanam præclara  
trophæa. In eum etenim statum reductæ res Gallicæ erant, ut si vel paucos  
martyres adhuc dedisset, servati innumerabilium sanguis incolumis potuis-  
set, & triumphare per totam Galliam lætum Evangelii præconium. De Hel-  
vetia hoc affirmare possum, si moderationem, ædificationi congruentem, &  
pacem saltem tueri nostri voluissent, non fuisset laboratum postmodum, nec  
laboraremus hodiè. Sed & intempestivis subversionibus rerum in Ecclesia  
liberarum & violentis armis tentatarum, quam nunc experimur, confusionem  
reportavimus. Meminit Nicephorus Eusebii, Samosatani, qui in exilium  
actus, seridè commonefecit populum, ne rebelles essent suo magistratui. Ac  
speciosi quidem prætextus semper quærantur: Sed quia verbo repugnant, ex  
DEO esse non possunt, nec successum habere. Spes autem est, ut calamitati-  
bus domiti, sanis tandem consiliis acquiescere discamus. Et qui nunc in sua  
immanitate sibi placent & exultant impii, provocata per impietatem in se DEI  
ira, eo ipso promoveant Evangelii cursum, quò maximè impeditum volunt.  
Nostrum est interim, DOMINUM præcari, ut per Spiritum Sanctum cor-  
da ad serium pœnitentiæ studium accendat, afflictorum misereatur. Bury-  
rum gratum fuisse tibi uxori quæ tuæ, gaudeo, cujus præcium accepi. De casibus  
prospiciam, etsi metuo, ne præcia sint magna futura. Heckelius vester serio  
facit officium, quem spero Ecclesiæ vestræ utile fore organum, judicio est non  
pœnitendo & verè sano, moribus inculpatis, studio indefesso, quo nomine  
præceptoribus gratus, & mihi charus habetur. Commendo eum tibi, ut  
quem.